



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Tit. II. De Constitvtionibvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

segg. & Greg. de Valentia Tomo 3, Summa Theol. cum Innocentio & Panormit. hanc quaestio-  
 Disput. 1. qu. 2, puncto 3, cum segg. Nobis sufficiat nem attigisse duntaxat.

IN TIT. II. DE CONSTITUTIONIBVS.

SUMMARI A.

1. Constitutio quid?
  2. Alia sunt Generales, alia Particulares.
- P**remisso igitur Titulo De summa Trinitate & fide Catholica, tamquam basi totius operis, subjicitur hic Tit. De Constitutionibus, ex quibus hoc jus nostrum præcipue constat est.

Est autem Constitutio, quod Rex vel Imperator constituit, *can. Constitutio Dist. 2. c. § Sed & quod Principi Inst. De iur. nat. gent. & civili. Item & quod constituit S. Pontifex, cap. 1. eod. in 6. Sed & receptum est, ut statuta inferiorum, veluti Legatorum Apostolicæ Sedis, Constitutiones nominentur, cap. 1. inf. De locato. Item & Episcoporum, & collegiarum Ecclesiarum, cap. Cum omnes 6, & cap. seq. h. tit. licet horum constitutiones rectius statuta appellentur, cap. 2, eod. in 6. Eadem est ratio Decreti & Canonis, ut & hæc interdum Constitutionis nomine censentur, c. 1. & 4. h. tit.*

Hinc duplex genus Constitutionum Generalium & Particularium. Generales omnes omnino ligant, cap. 1. & cap. 5 h. tit. de quo fufius paulò post: particulares non nisi subditos particularium locorum, quamdiu in eodem territorio sunt: nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, cap. 2. eod. in 6. & l. fin. D. De iurisdic. Neque unquam constitutio ad præterita negotia debet respicere, cap. 2. eod. nisi id difertè exprimat in ipsa Constitutione, c. fin. h. tit. Et quamvis explorati juris sit, Constitutiones generales derogare prioribus constitutionibus generalibus, ubi inter se sunt contrariæ, nullâ etiam harum mentione factâ; non tamen statutis & consuetudinibus derogant particularibus, cap. 1. eod. in 6. ubi & ratio redditur, quia scilicet summus Pont. eas possit probabiliter ignorare. Demum Constitutiones à secularibus latæ de personis & rebus Ecclesiasticis nullam vim habent, quia à sæculari iurisdictione exemptæ sunt, c. Ecclesia S. Maria h. tit. & infra latius.

IN CAPIT. PRIMVM.

SUMMARI A.

1. Canonum auctoritas.
2. Canonum statuta observanda in judiciis Ecclesiasticis.
3. Ius Canonicum & Civile in suo quodque foro observandum.
4. Quem modum in procedendo & iudicando servare debeat iudex.
5. Quando superiorem consulere.
6. Consultationes iudicum hodie sublata.
7. Taxatur inscruia Advocatorum & iudicum.
8. Iudex cui deferre debeat, iuri communi, an statuto vel consuetudini contraria.
9. An S. Pontifex canonicis & Princeps legibus sint subiecti.

**C**anonum statuta custodiantur ab omnibus: & nemo in actionibus, vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed illorum auctoritate ducatur.

Hoc Cap. desumptum est & huc translatum ex Concilio Meldensi, ut restatur ipsa inscriptio, quod Meldis ad Meldriam Galliarum fluvium

à tredecim Episcopis Galliarum anno Dom. 845. celebratum est: non minus tamen à nobis & cæteris Christianis recipiendum, cum auctoritate publicâ Gregorii IX. in hoc Decretalium opus relatum sit. Etenim tum hic, tum pluribus aliis locis observandum est, & retinendum, ut si quæ capitula ex particularibus Conciliis, vel ex veteri Testamento, vel ex D. Augustino, Hieronymo, aliisque Patribus, vel etiam ex Jure civili, his aliisque libris Decretalium inserta sunt, illa tamquam generalia, & publicâ auctoritate sancita agnoscamus & acceptemus; memores illius Justiniani Imp. in l. 1. § sed neque C. De vet. iure enucl. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimus; quod & à Bonifacio VIII. repetitum est in cap. Si Apostolica 22. De prebendis lib. 6.

Itaque ex hoc cap. discimus, Canonum statuta (sive mavis Jus Canonicum) in actionibus & judiciis Ecclesiasticis observanda esse. Idem cavetur & in cap. 5. eod. De iure civili id ipsum